



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 144. Quinam resignare possint Beneficium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

§. I. Voluntariè resignari non potest beneficium nequidem apud Papam, super quo quis ad majorem Ordinem promotus est, nisi hæc duo narrentur, & quodd eo titulo fit ordinatus, & quodd aliunde habeat, quo vivat, aliàs resignatio est irrita, *Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref. Et si Ordinarius resignationem, in qua hæc non narrantur, admittat, beneficium per Constit. Pii V. vacat ac devolvitur ad Papam, teneturque Ordinarius de propriis providere resignanti, Paris. Garc. Tond. Nicol. Quamvis autem ipse Papa admittat, est irrita, & resignans retinet jus, poteritque Ordinarius de eo beneficio disponere, si resignans decedat in mense Ordinarii, Garc. Tond. Nicol. Dixi, voluntariè, nam si resignatio aut privatio inducatur à jure, v. g. ob affectionem alterius impossibilis, valida est, nec opus ista narrari, Garc.; tale tamen beneficium surrogatum pro titulo resignari non potest, nisi ista pariter narrentur, quia surrogatum hic habet naturam illius, cui surrogatur, L. § eum. §. Qui injuriarum, ff. Si quis cautioni, Gutt. Garc. Chok. Et disposuit etiam Pius V., ut nec aliud beneficium, super quo non est ordinatus, resignetur, nisi aliunde habeat unde vivat, Paris. Garc. Vide Luca de benef. disc. 37. n. 14. De permutatione dicetur n. 1103.*

§. II. Etiam dimitti non potest titulus patrimonii, super quo quis ordinatus est, *Trid. supra*: soletque requiri juramentum non resignandi, nisi aliunde provisum sit de honesta sustentatione ac sciatur approbetque Episcopus. Vide *Leur. p. 3. q. 305. & seqq.* Similiter pensiones constitutæ loco beneficii, super quo quis est ordinatus, resignari non possunt, cum sint ad necessitatem sustentationis. Vide *Leur. q. 309*

Q. 144. Quinam resignare possint beneficium. R. 985

§. I.

984

985

§. I. Qui prævitet se ob delictum etiam notorium esse privandum, resignare potest, etiam in favorem, etiam per procuratorem, cum reservatione pensionis, etiam pendente lite aut post latam sententiam perpetui carceris aut etiam privationis, si ab hac appellârit, tum enim privatio non habebit effectum, nisi post tres conformes; nec beneficium tale ideo fit litigiosum, nisi postquam alteri fuerit adjudicatum, *Rebuff. Gonz. Paris. Garc. p. 11. c. 3. à n. 80.* Nec opus est in resignatione fieri mentionem criminis, litis aut privationis, cum id nullibi in jure caveatur, *Garc. Castrop. Corrad. Pirb. contra Felin. Paris. Tond.:* Et tenent dicta, licet reus sciat beneficium pro casu privationis jam impetratum esse à tertio, *Covar. Garc. Castrop. Tond. Pirb. contra Butr. Lancell. Felin. Gomes. Farin. Paris.,* quia nempe adhuc habet jus in beneficio, quod non prohibetur abdicare, nisi aliud exprimitur in rescripto impetrationis. Putant tamen *Pirb. & alii contra Garc.* talem resignationem posse postea post totam sententiam rescindi per Judicem, quod maximè teneret de rescissione pensionis. Vide *Leur. p. 3. q. 310. 311.*

986 §. II. Privatus ipso jure resignare non potest, cum jus amplius non habeat, communis cum *Leur. q. 312.:* Et tenet hoc, etiam si fiat ante sententiam declaratoriam, supposito ex dictis n. 943., quod hæc requiratur, quia talis à momento commissi criminis amisit jus, ac subsequens declaratio eò retrahitur. Et idem est de privato per sententiam hominis, si hæc transferit in rem judicatam, quamvis necdum sit executioni data, nam etiam tum amisit omne jus, *Paris. Garc. Leur. q. 313. contra Rebuff.:* Unde si apud Papam resignarit sub pensione, non factâ mentione amissi tituli, pensione frui non potest,

est, quia Papa tantum illi vult pensionem dari, qui per resignationem abdicat titulum, *Gig. Gamb. Garc. Paris. Leur. q. 314.*

§. III. Quando is, cui reservata pensio, egit ad privationem vel regressum ob non solutam pensionem, resignatarius non potest resignare in favorem tertii; aliàs potest, etiam non admonito primo resignante; & hic secundus resignatarius non potest à primo ob non solutas pensiones molestari. *Vi. de Leur. q. 315. 316.*

§. IV. Habens parochiam, ob quam tenetur promoveri intra annum, potest eam ultimâ die anni resignare, quia pœna privationis non incurritur, nisi tempus ex toto labatur: non facilè tamen admittetur hæc resignatio, quia stylus habet, ut si tantum brevi tempore possederit, rejiciatur cessio, *Paris. Leur. q. 313.* Et similiter in simplicibus beneficiis requirentibus residentiam stylus Datarie requirit, ut resignans exprimat se possedisse per annos saltem absolutè tres, ideoque debet declarari, à quo tempore obtinuerit, *Paris. Garc. Castrop. t. 13. d. 6. p. 2. §. 5. n. 9.* Et si ponat, per annos quinque circiter, satis est, si per annos quatuor & medium, *Garc. Corr.*, qui notat praxin illam tenere tantum in resignatione apud Papam & non apud Ordinarium. Quòd si quis præsens in Curia obtineat aliquod beneficium, jurare debet se non habere animum resignandi; intellige intra breve tempus, usus enim habet, ut resignare possit post aliquot annos, *Garc. Corr. Leur. q. 319.*

§. V. Impetrans beneficium per annum pacificè possessum, potest illud, si resignationem Superiori admittere velit, statim resignare, nec evocato possessore, nec causâ expeditâ, quia ad hæc tenebitur resignatarius, *Sarn. Mandos. Paris. Leur. q. 318.*

990 §. VI. Promovendi per Papam ad Ecclesiarum aut Monasteriorum regimina non possunt intra tempus vacationis Ecclesiæ aut Monasterii & tempus promotionis suæ resignare sua beneficia alioqui vacatura per promotionem, illa enim Papæ reservantur per Reg. Cancell. Excipe, si quis eo tempore resignavit ignorans se promovendum, quia tunc abest fraus, *Gl. Paris.* Vide *Leur.* q. 320.

991 §. VII. Mente captus nequit resignare, nisi in lucido intervallo, *Cap. Quamvis sit triste*, 7. q. 1., *Cap. Consaldus*, 17. q. 2.; Cùm autem resignatio non præsumatur, *Cap. super hoc*, de Renunc., probari debet fuisse lucidum intervallum, *Gl. Rebuff. Paris.* contra *Sarn.*; sed è contrà etiam prius probari debet fuisse amentiam, quia in dubio præsumitur quis esse sanæ mentis, *Bald. Paris.*; maxime si fuerit brevis amentia, *Bartol. Alex. Dec. Paris.*; Idem est de furore & ebrietate. Vide *Leur.* q. 321.

992 §. VIII. Senex resignare potest, quamvis ejus resignatio difficilius admittatur, *Paris. Barb. Leur.* q. 322. Similiter Minores, qui excefferunt 14., & necdum attigerunt 25. ætatis annum, possunt sine Curatoris consensu etiam per procuratorem sine officio Judicis constitutum resignare, *Az. Castrop. Pirh.*; sed impubes, si per dispensationem habeat beneficium ante annum 14., resignare non potest sine auctoritate Tutoris & decreto Superioris, quia pupillus sine Tutore nihil attentare potest, *Bursat. Rebuff. Paris. Tond. Pirh. Leur.* q. 324. Quomodo autem Minori vel impuberi, si resignarit, aliquando detur restitutio in integrum, explicat *Castrop.* §. 3. n. 13. & *Leur.* q. 325.

993 §. IX. Putant *Chok.* & *Leur.* q. 326. admissum ad Monasterium sed necdum ingressum novitiatum non posse resignare beneficium intuitu Religionis ingre-

ingrediendæ, tum quia refertur declaratio S. Congreg., eò extendens decretum *Trid.* Sess. 25. c. 16. de Regul, quo prohibentur abdicaciones usque ad duos menses proximis professioni, tum etiam quia eadem hîc est ratio, ne videlicet novitii deterreantur ab egressu è novitiatu, aut si egrediantur, ne careant competentiam vivendi: Novitios autem ipsos posse cum consensu Episcopi etiam sine consensu Superiorum duobus mensibus ante professionem resignare beneficium, etiam super quo ordinati sunt, docent communiùs A A apud *Leur.* q. 327. & 328. n. 3., quamvis resignatio non habeat effectum, quousque emittant professionem: è contrà *Mach. Villal. Garc. Barb. Castrop.* dicunt illud decretum *Trid.* non agere de resignationibus beneficiorum, sed tantum de abdicatione aliorum bonorum, quod probabile reputat *Pirb.*, quia loquitur de renunciatione etiam in favorem causæ piæ, quod beneficiis non convenit, adeoque censent beneficia ab ingressuris & ingressis resignari posse, quando & quomodo volent, dummodo serventur leges juris communis: sed *Maj. Az. Paris. Laym. Sperel. Sanch. Tond. Chok. Pirb. Leur.* n. 1. tenent velut probabilius, quòd *Trid.* loquatur etiam de renunciatione beneficiorum, cum de his sit eadem ratio: talis tamen renunciatio imbibit hanc conditionem, si professio sequatur; hinc beneficia sic resignata conferri non possunt nisi professione secutâ.

Q. 145. Quid notandum sit circa resignationem factam ab infirmo. R. Seqq. 994

§. I. Regula Cancell. de infirmis sic habet, Item voluit, ut si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia sive extra illam aliquod beneficium, sive simpliciter sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit aut illius Commen-